DE LEGE

VALERIA HORATIA, PRIMA PUBLILIA, HORTENSIA

SCRIPSIT

Dr. TH. TOPHOFF,

IN GYMNASIO PADERBORNENSI SUPERIORUM ORDINUM PRÆCEPTOR.

PADERBORNÆ,

TYPIS LIBRARIÆ JUNFERMANNI.

MDCCCLI.

DE LEGE

VALERIA HORATIA, PRIMA PUBLILIA, HORTENSIA.

§. 1.

Quum hoc anno mihi esset mandatum, ut aliquid scriberem, quo celebrandis his Gymnasii solemnibus præfarer, nihil videbar eligere posse accomodatius, quam ut de lege Valeria Horatia: *„ut, quod tributim plebes iussisset, populum teneret,“* de lege Publilia prima: *„ut plebiscita omnes Quirites tenerent“*, de lege Hortensia: *„ut, quod plebes iussisset, omnes Quirites teneret“* novam quæstionem instituerem. Nam hæ, quas dixi, leges, recte cognitæ, ad interiorem ut ita dicam rerum Romanarum cognitionem multum sane conferre videntur; ei autem homines docti, qui in Romanorum historia scribenda atque in eorum legibus et institutis explicandis has quoque leges tractarunt, tanta sunt in opinionum varietate ac dissensione, ut admodum dubium factum sit, quid de his legibus recte sit iudicandum. Alii enim legem Valeriam Horatiam per Publiliam, hanc per Hortensiam tantummodo repetitam et confirmatam esse, ita ut hæ tres leges unum idemque valerent, existimarunt; alii has plane diversas esse iudicarunt. Quid vero hæ inter se differrent, quum statuerent, alii in alias sententias discesserunt. Nam Niebuhrius plebiscita, lege Valeria Horatia lata, nisi et curiæ et patres facti essent auctores, populum non tenuisse, prius lege Publilia, alterum Hortensia esse sublatum existimavit; Walterus curiis iam lege Valeria Horatia, senatui vero Publilia hoc ius esse ademptum statuit; Petersius contra a senatu hoc ius plebiscita rata aut non rata habendi semper esse retentum iudicavit.

§. 2.

Quoniam igitur tot diversæ de his legibus gravissimis exstiterunt opiniones et omnes fere, qui nostra ætate in his legibus explicandis studium collocarunt, hac fuerunt sententia, plebiscita, ut omnes tenerent Quirites, etiam post legem Valeriam Horatiam latam et per curias et per senatum aut saltem per senatum rata haberentur necesse fuisse: eis, quæ de his legibus ab auctoribus ipsis rerum Romanarum litteris tradita sunt, præmissis primum mihi plebiscita post legem Valeriam Horatiam ipsa per se neque curiis neque patribus factis auctoribus populum tenuisse certis argumentis docendum, deinde omnibus documentis, quæ ab hominibus doctis pro suis opinionibus comprobandis allatæ sunt, nihil confici demonstrandum, tum denique, quid de his legibus recte statuendum sit, esse disserendum est visum.

§. 3.

Quæ ab auctoribus ipsis de his legibus litteris mandata reperiuntur, hæc fere pauca sunt:

„Omnium primum, quum velut in controverso iure esset, tenerenturne patres plebiscitis, (Valerius, Horatius consules) legem centuriatis comitiis tulerunt, „ut, quod plebes iussisset, populum teneret." Qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est." **449 a. Chr. n. 305 U. c. Liv. III. 55. cf. Dionysius XI. 45.**

„Dictatura (Q. Publilii Philonis) popularis et orationibus in patres criminosis fuit, et quod tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit, unam: ut plebiscita omnes Quirites tenerent." **339 a. Chr. n. 415 U. c. Liv. VIII. 12.**

„Quintus Hortensius Dictator, quum plebs secessisset in Janiculum, legem in Esculeto tulit, ut, quod ea iussisset, omnes Quirites teneret." **287 a. Chr. n. 467 U. c. Pliuius H. N. XIV. 10. 37.**

„Quibus rogationibus (tribuniciis) patricii ante non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator legem tulit, ut eo iure, quod plebs sta-

tuisset, omnes Quirites tenerentur.“ Lælius Felix apud Gellium N. Att. XV. 27.

„Postea lex Hortensia lata est, qua cautum est, ut plebiscita universum populum (omnes Quirites) tenerent.“ Gaius 1. §. 3.

„Sed et plebiscita lege Hortensia lata non minus valere, quam leges cœperunt.“ Instit. I. 2. 4.

§. 4.

Hoc igitur iam primum omnium constat, ne unam quidem vocem apud hos, quos modo nominavi, auctores reperiri, unde coniicere possis, plebiscita, nisi et per curias et per senatum ea accepta ac comprobata essent, populum non tenuisse. Quodsi vero hæc conditio cum Niebuhrio et aliis adiungenda esset, certe unus et alter illorum eam adiecisset. Sed sunt, qui dicant, hoc ab illis scriptoribus, qui brevitati studerent, esse omissum; id quod multis de causis haud verisimile esse videtur. Attamen, quo magis opinio eorum, qui putent, plebiscitorum, ut populum tenerent, curiæ et senatus auctores fierent post legem Valeriam Horatiam necesse fuisse, funditus evertatur, et quo clarius id, quod est proprium nostræ quæstionis, appareat, post legem Valeriam Horatiam latam plebiscita neque curiis neque senatu auctoribus factis populum tenuisse, iam, dum ea, quæ a primordiis liberi populi usque ad dominationem Sullæ in gravissimis tribuniciis rogationibus atque plebiscitis acta sunt, persequimur, nunquam, neque ante neque post legem Valeriam Horatiam, curias et senatum ius plebiscita rata vel non rata habendi obtinuisse demonstraturi sumus. Sed ut priora prætermittamus, iam statim ea, quæ acta sunt, postquam Volero Publilius anno CCCCLXXII a. Chr. n. rogationem tulit, *„ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent“* cognoscamus atque ea, quæ ad rem nostram comprobandam pertinere videantur, ex Livio et Dionysio transcribamus. *„Primo anno huic actioni, gratissimæ plebi summa vi resistunt patres, nec, quæ una vis ad resistendum erat, ut intercederet aliquis ex collegio tribunorum, auctoritate aut consulum*

aut principum adduci poterat. Insequenti anno plebs Voleronem tribunum reficit. Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam App. Claudium iam inde a paternis certaminibus invisum infestumque plebi consulem faciunt, occupant tribuni templum (locum pro rostris, ubi conciones habebantur). *Consules, nobilitas ad impediendam legem in concione consistunt. Submoveri Laetorius iubet, praeterquam qui suffragium ineant. Adolescentes nobiles stabant, nihil cedentes viatori. Ardens igitur ira tribunus (Laetorius) viatorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum.*" Quinctii consulis opera tandem Appius consul coercetur et plebs mitigatur; Appius senatui, qui a vi et armis abhorrebat, cedens quievit. Lex a Volerone lata silentio — non amplius obstrepentibus patriciis et Appio — perfertur. Liv. II. 56 — 58. Dionysius vero, (Antiq. Rom. IX. 41 — 49) postquam hac de re etiam Livio copiosius disseruit, finem hisce verbis fecit: „Καὶ ὁ δῆμος ἀγαπητῶς δεξάμενος τὸ συγχώρημα τῆς βουλῆς, ἐπεψήφισε τὸν νόμον." Plebs igitur, cui gratum erat, quod senatus cesserat, hanc rogationem pertulit. Ergo populus, seu patricii, seu patres, duce Appio omnia experti sunt, ut impedirent, quominus plebs suffragium iniret atque rogationem perferret. Sed nihil neque a Livio neque a Dionysio memoratur, unde intelligatur, curias et patres esse factos huius legis perlatæ auctores. Contra Dionysius his ipsis verbis tributa comitia sine senatus consulto atque sine sacrificiis uno die a tribulibus peragi affirmavit. IX. 41. Plane vero ineptum est, si Fiedlerus[1]) ex Dionysii verbis: „ἐπικυρωθέντος δὲ τοῦ προβουλεύματος (IX. 49.) hanc rogationem senatus consulto facto esse perlatam opinatus est. Nam hoc senatus consulto privatæ discordiæ magistratuum Appii consulis et Laetorii tribuni sunt diremptæ. Vid. Liv. II. 47.

Pergamus igitur ad ea, quæ sequuntur. Postquam vero C. Terentillus Arsa CCCCLXII a. Chr. n. de legibus scribendis tulit, Icilius de Aventino publicando rogationem promulgavit, item ad im-

[1]) Geschichte des römischen Staates und Volkes. Leipzig 1832. S. 71. N. 25.

pediendas has rogationes patricii, maxime iuniores duce Caesone omnia fecerunt neque ab impetu et armis abstinuerunt. Liv. III. 9. 33. Dionys. X. 1. 33. Iam ea, quæ post legem Valeriam Horatiam latam acta sunt, perpendamus. Anno enim CCCCXXXXV a. Chr. n. Canuleius tribunus plebis de connubio patrum et plebis tulit, eodem anno paulo post novem alii tribuni hanc rogationem promulgarunt, „*ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi.*“ Laeti audierunt patres hoc ipso tempore plures populos finitimos bellum parare. Vel adeo hæc bella in maius auxerunt, summa vi bellum armaque adparaverunt; iuniores sacramento adegerunt et in castra eduxerunt; quin imo consules in concionem plebis procedunt, admodum infestis orationibus plebi et tribunis minantur. Quid plura? Nihil patricii inexpertum reliquerunt, ut impedirent, quominus illæ rogationes perferrentur: „*Nec,*“ inquit Liv. IV. 6, „*ante finis contentionum fuit, quam victi tandem patres, ut de connubio ferretur, consensere.*“ Ad quem ferretur? si interrogaveris, certe ad plebem, quæ in comitiis tributis hanc rogationem sisceret. Quod si etiam nunc addubitaveris, mecum, quæso, hæc, quæ sequuntur, consideres. Anno enim CCCLXXVI a. Chr. n. C. Licinius et L. Sextius promulgarunt has rogationes: „*unam de aere alieno, alteram de modo agrorum (publicorum), tertiam, ne comitia tribunorum militum fierent, consulum alter e plebe crearetur.*“ „*Patres conterriti nullo alio remedio praeter expertam multis iam ante certaminibus intercessionem invento collegas adversus illas rogationes comparaverunt. Qui ubi tribus ad suffragium ineundum citari a Licinio Sextioque viderunt, stipati patrum praesidiis nec recitari rogationes, nec solemne quidquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt.*“ Liv. VI. 36. Ita per decem annos patres contra has tribunicias rogationes summa vi pugnarunt, primo intercessione collegarum, deinde ablegatione iuventutis ad Veliternum bellum, tum dictatore dicto, qui per lictores plebem de medio foro amoveret, ne suffragium iniret, postremo per Appium Claudium Crassum, qui truci oratione in Licinium et Sextium invectus est: itaque omnia tentant,

extrema experiuntur, ut impediretur, quominus tribus in suffragium missæ has rogationes sciscerent. Decimo tandem anno per ingentia certamina dictator Camillus et senatus victi erant, ut rogationes illae acciperentur, id est, ut plebem suffragia inire et illa, quæ tribuni promulgarant, sciscere sinerent. Liv. VI. 39 — 42. De senatu vero, qui auctor factus sit, de comitiis curiatis, quæ has rogationes perlatas comprobaverint, etiam hoc loco nulla est mentio facta. Si vero senatus et curiarum ius, ut plebiscita rata facerent, fuisset, num hæc verba Appius Crassus, quum contra Licinium et Sextium acriter diceret, facere potuisset: „*Non leges auspicato ferantur, non magistratus creentur, nec centuriatis, nec curiatis comitiis patres auctores fiant*"? Liv. VI. 41. Quibus ex verbis nonne satis est perspicuum, tributis comitiis patrum non fuisse, fieri auctores. Etenim Hoeckius,[2]) quum ex his Livii verbis: „*quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem plebis res venit*" (Liv. VI. 42) post legem Valeriam Horatiam curiarum fuisse plebiscita rata aut non rata habere intelligeret, vehementer erravit. Nam comitia consulum (centuriata) adversa nobilitate habita sunt, quibus L. Sextius de plebe primus consul factus est. De centuriatis igitur, non de tributis comitiis hoc loco sermo est. Quæ his locis, quos nominavi, a patribus summa vi contra tribunicias rogationes acta videmus, eadem fere contra alias tela intenduntur. Liv. IV. 48. V. 24 — 25. 29. 30. Sane memorabilia sunt hæc, quæ loco proximo apud Livium leguntur: „*Quum ferretur lex transmigrandi Veios, patres, senes iuvenesque agmine facto in forum venerunt; dissipati per tribus suos quisque tribules prensantes orare cum lacrimis coepere. Quia non vi agebant, sed precibus et inter preces multa deorum mentio erat: religiosum parti maximae fuit et legem una plures tribus antiquarunt, quam iusserunt.*" Iam ceteris prætermissis ad Gracchorum tempora decurramus. Qua alia re legem agrariam Tiberii Gracchi senatus initio fregit, nisi intercessione Octavii?

---

[2]) Römische Geschichte. Erster Bd. Erste Abth. Braunschweig 1841. S. 11.

Qua alia arte leges Caii Gracchi iam perlatæ quominus perficerentur, senatus obstitit, nisi per L. Drusum tribunum plebis sibi comparatum? Nulla ergo significatio, nullum vestigium neque primis, neque postremis reipublicæ temporibus, neque ante, neque post legem Valeriam Horatiam reperiri potest, unde recte colligatur, curias et senatores plebiscitorum unquam factos esse auctores. Imo vero potius multa et gravissima obstant, quominus facere possimus, ut curias et senatum unquam hoc habuisse ius credamus. Nam omnibus quos attuli locis, quibus etiam plures sine negotio addi possunt, vidimus, patres, consules, patriciorum primores omnes vias inire, omnes rationes atque consilia capere, ad preces confugere, minis, acerrimis orationibus contra tribunos et plebem non abstinere, vel adeo ab armis, vi atque impetu non abhorrere, nihil, ut brevi dicam, inexpertum omittere, ne rogatio aliqua, a tribuno plebis promulgata, perferretur neve plebs tributim suffragium iniret. Num profecto omni ope atque opera patricii enixi essent, num tam acriter contendissent, ne rogatio perferretur, si sui iuris suæque potestatis fuisset, plebiscitum abrogare? Et pone, ut de curiis taceam, senatum hoc ius habuisse. Quid tandem potestatis ei concessum esset? Nonne, quum Senatus plebiscitum aliquod patriciis adversum non ratum habuisset, tribuni plebis, qui ante valvas curiae positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, intercessissent? quibus intercedentibus in senatu nihil peractum est. Sed mihi quidem Niebuhrius, a quo haec opinio, nostra aetate sane vulgaris, plebiscita, ut populum tenerent, per curias et senatum fuisse confirmanda, inventa et inducta est, potius formam nostratium civitatum ad res Romanas transtulisse, quam statum rerum Romanarum ipsum acriter inspexisse et inde suam opinionem concepisse videtur. Apud Anglos utique, Francogallos et alios, qui ad illorum exemplar suae civitatis formam finxerunt, eae tantum leges omnes tenent, quae ab omnibus tribus potestatibus et a principe et ab utraque curia et nobilium et populi comprobatæ sunt. Romana civitas duabus initio constabat partibus, ex patriciis et plebeiis; omne imperium erat penes patricios;

plebs serviebat. Patricii vero magis et magis senescebant; plebs ferocibus viris ducibus et multitudine hominum accrescens, decrescente patriciorum gente, ex servitute magis magisque emergebat, atque primo partem imperii, denique totum fere imperium consecuta est. Ita factum est, ut patriciorum curiae vim et potentiam priorem amitterent, plebiscita, ut plebs ipsa validior et potentior fiebat, maiorem in dies vim ac potentiam caperent atque adeo post triste imperium decemvirorum sublatum ex lege Valeria Horatia etiam patricios tenerent. Quae quum ita sint, quid plura disputo? An est quisquam, cui non persuasum sit, neque curiarum, neque patrum unquam fuisse, plebiscita reprehendere, rata vel non rata habere? Si nunquam vero penes curias et senatum fuit plebisciti sanciendi vel abrogandi arbitrium, fieri non potest, ut post legem Valeriam Horatiam illorum fuisse ius recte concedamus.

§. 5.

Quod quum confectum sit, opiniones hominum doctorum, qui in eo omnes consentiunt, quod plebiscita, ut populum tenerent, aut et per curias et per senatum aut saltem per senatum confirmanda fuisse putarunt, plane sunt subversae. Sed quoniam auctoritas horum adhuc tanta fuit, ut plerique eorum, qui historiam Romanam scripserunt, unum vel alterum secuti sint, facere non possum, quin illorum opiniones refellam atque redarguam, etiamsi aliquid supervacanei operis facturus sim. Spero quoque, si quis eis, quae supra demonstrata sunt, non potuerit adduci, ut ad meam sententiam accederet, fore, ut nemo sit, qui non, quum eis documentis, quæ illi pro suis opinionibus defendendis attulerint, non id, quod senserint, sed plane contrarium potius coargui intellexerit, prorsus sibi persuadeat. Iure Niebuhrius, homo ingeniosissimus omnium, qui in rebus Romanis cognoscendis plurimum operae et studii consumserunt, dignus esse videtur, cuius opinio prima percenseatur, praesertim quum multi vel plurimi eorum, qui has res tractarunt, eum potissimum sint secuti. Qua opinione hic homo

doctissimus fuerit, iam supra a me dictum et ab ipso optime est explanatum.[3]) Hoc vero mihi praemonendum esse videtur, Niebuhrium quum, lege Valeria Horatia lata, ea, quae plebs scivisset, per curias et patres, ut populum tenerent, rata haberentur necesse fuisse, doceret atque statueret, non suffragia plebis, quibus tribuni plebis aliique plebeii magistratus crearentur, sed sola plebiscita, quibus rogationes tribuniciae perferrentur, potuisse cogitare. Primo vero ei fuerunt argumento, quo comprobaret id, quod sentiret, haec verba, quae Gellius N. Att. XIII. 15. ex Messalae auguris libro de auspiciis transcripsit: *„Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates, maxima sunt consulum, praetorum, censorum . . . . reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: — ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege: maiores centuriatis comitiis fiunt.“* Sed quoniam hoc loco non de plebiscitis, sed tantum de magistratibus creandis, id quod nihil ad rem attinet, est sermo, quis est, qui cum Niebuhrio inde argumentari ausus sit, plebiscita nisi per curias confirmata populum non tenuisse. Quare hoc de loco et de Niebuhrii legentis: *„Sed ius eius curiata datur lege“* emendatione admodum dubia plura loqui iure supersedeo. Neque magis illud, quod Niebuhrius sensit, patribus (senatu) non factis auctoribus plebiscita populum non tenuisse, comprobatur ex hoc loco, qui est apud Livium IV. 8: *„Ortum autem initium rei est, quia in populo per multos annos incenso neque differri census poterat neque consulibus, quum tot populorum bella imminerent, operae erat, id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere. Et patres, quo plures patricii magistratus in republica essent, laeti acceperunt. Tribuni, ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud sane tetendere.“* Quibus ex Livii verbis quid aliud intelligi potest, nisi hoc: senatui placuisse novum magistratum, censuram, institui,

[3]) Römische Geschichte, 2te Ausgabe. II. 210 — 15. III. 170 — 171. 490 — 91.

tribunos plebis non intercessisse? Plebiscitum nullum est factum. Ergo ad rem, quam Niebuhrius erat demonstraturus, confirmandam hoc nihil valet, id quod et ipse sentire videtur. At iam certius, ut ipse quidem opinatur, attulit documentum ex hoc loco Livii VII. 15: „. . . *et de ambitu ab C. Poetelio tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum* (plebem) *latum est.*“ Ex duabus his vocibus: „a u c t o r i b u s p a t r i b u s“ Niebuhrius hoc — sane multum — cogit, senatus consultum esse delatum ad tribus, ut ferrent atque confirmarent. Quod si verum esset, tamen nequaquam doceret, plebiscita illa aetate post legem Valeriam Horatiam latam non rata fuisse neque populum tenuisse, nisi patres facti essent auctores. Sed mihi quidem illis duabus vocibus nihil aliud dici videtur, nisi hoc: a patribus tribunum plebis esse permotum, ut hanc rogationem ferret. Nihil vero Niebuhrius ad opinionem suam comprobandam attulit, quum hoc, quod eundem apud Livium in capite insequenti (VII. 16) scriptum est, laudat: „*Haud aeque laeta patribus de unciario foenere a M. Duilio, L. Maenio tribunis plebis rogatio est perlata et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque.*“ Quid enim ex una illa voce: „*laeta*“ effici potest? certe nihil, quod ad rem demonstrandam valeat. Sed summum Niebuhrii argumentum reliquum est. Nam Dionysius (XI. 45) legis Valeriae Horatiae mentionem fecit hisce verbis: „*Τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου τεθέντας ἐν ταῖς φυλετικαῖς ἐκκλησίαις νόμους ἅπασι κεῖσθαι Ῥωμαίοις ἐξ ἴσου, τὴν αὐτὴν ἔχοντας δύναμιν ταῖς ἐν ταῖς λοχίτισιν ἐκκλησίαις τεθησομένοις.*“ Atqui leges, quae in centuriatis comitiis latae erant, ante legem Publiliam rata non erant, nisi patres auctores facti erant. Quod verum esse facile est intellectu ex Cic. pro Plancio c. 3, ex Livio I. 17. VI. 41. VIII. 12, ex Sallustio fragm. III. p. 972 ed. Corte, aliis ex innumerabilibus locis. Ergo, quum Dionysius diserte dixerit, plebiscita idem, quod leges, valuisse, Niebuhrius recte inde colligi putavit neque dubitavit affirmare, plebiscita populum non tenuisse, nisi patres facti essent auctores. Sed valde dubium mihi quidem esse videtur, num ita recte illa Dionysii verba intelligantur, atque id, quod Niebuhrius senserit, recte inde concludatur. Nam si

nihil huc praeiudicati attuleris, verba ipsa Dionysii, quae modo transscripsimus, neque minus haec, quae ab eo explicandi causa adiuncta sunt, diligenter et acriter intuitus atque contemplatus sis, certe tibi erit manifestum, non id, quod Niebuhrius putavit, sed hoc potius Dionysium planis verbis declarasse, plebiscita, quae antea solam plebem tenerent, lege Valeria Horatia lata eandem, quam leges, hac quidem ratione accepisse vim ac potestatem, ut amplius non solam plebem, sed etiam populum tenerent. Sed de hoc loco postea copiosius disseram; ad Niebuhrii opinionem refellendam haec satis multa vel potius plura, quam necesse fuit, me dixisse existimaverim. Hoc enim constat, in nullo eorum argumentorum, quae Niebuhrius attulerit, esse quidquam, quod eius sententiam tueatur, id, quod equidem supra statuerim, evertat. Niebuhrio Hoeckius prorsus est assensus neque novis argumentis hanc opinionem confirmavit. Quapropter hunc silentio praeterire et ad Walterum[4]) transire liceat. Qui cum Niebuhrio, quum primum Romanorum iuris historiam in publicum ederet, plane consenserat. Sed quum quinque annis post hunc, quem nominavimus, librum rescriberet et corrigeret, a Niebuhrii sententia discessit atque hoc docuit, lege Valeria Horatia iam curiis ius plebiscita rata vel non rata habendi esse ademptum, senatui vero mansisse, quod lege Publilia esset sublatum, legem Hortensiam nihil aliud fecisse, nisi ut Publiliam confirmaret et repeteret. Quum nihil usquam, id quod Walterus iam vidit, reperiatur, unde cognosci possit, per curias plebiscita, ut populum tenerent, post legem Valeriam Horatiam sancienda fuisse, priorem eius opinionis partem non recuso accipere, ita tamen, ut illa demum lege curiis hoc ius esse ademptum valde negaverim. Nunquam enim curiarum hoc fuisse ius iam supra satis demonstratum est. Alteram vero opinionis partem Walterus hoc uno argumento confirmavit, quod post legem Publiliam non amplius facta esset mentio, patres

---

4) Walters Römische Rechtsgeschicte. Bonn 1840. S. 95. 107. 110. — 2te Ausgabe. Bonn 1845 — 46. I. Th. — S. 73 — 75.

(senatum), si plebs rem aliquam scivisset, factos esse auctores.[5]) Id, quod negari non potest. Sed inde nequaquam illico sequitur, ut ius illud senatus sive patrum lege Publilia demum sit sublatum. Nam, quod supra satis demonstravimus, iam ante legem Publiliam patres nunquam ne in gravissimis quidem tribuniciis rogationibus plebiscitorum facti sunt auctores. Iam Walterum, cui multum me debere libenter confiteor, omittamus. Reliquum est, ut eam opinionem, quam Petersius[6]) posuit, examinemus. Qui in legibus Valeria Horatia et Publilia explicandis plane cum Niebuhrio consensit; in lege Hortensia exponenda aliud vero ei visum est. Patrum (senatus) ius plebiscita rata vel non rata habendi censuit nunquam ne Hortensia quidem lege esse abrogatum, sed usque ad extrema reipublicæ Romanæ tempora permansisse. Quam opinionem, etsi iam nostra sententia comprobata et Niebuhrii Walterique erroribus convictis refellimus, tamen, ne cui ne minima quidem dubitatio relinquatur, diluamus, dum singula deinceps argumenta, quæ Petersius attulit, persequimur. „*Anno CLXXXIX a. Chr. n. C. Valerius Tappus tribunus plebis de Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus promulgavit, ut eis suffragii latio (nam antea sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, quum intercederent, edocti, populi esse, non senatus eis suffragium, quibus velit, impartiri, destiterunt incepto.*“ Quibus ex Livii (XXXVIII. 36) verbis quid colligi potest? Num patres auctores facti sunt? num senatus consultum est factum? Minime. Neque dubium esse videtur, quin hæc verba: „*non ex auctoritate senatus*“ nihil aliud dicant, nisi ex voluntate et sententia senatus. Qui quum putaret, sui, non populi esse suffragium impertire, ut hæc rogatio ferretur, noluit. Cui quatuor tribuni plebis quum accederent, initio huic rogationi intercessuri erant. Nihil est igitur hoc in loco, quod Petersii opinio-

---

[5]) Vide Liv. VIII. 37. IX. 30. X. 6 — 9. [6]) Epochen der Verfassungsgeschichte der römischen Republik. Leipzig 1841. S. 93 — 95. 102.

nem comprobet. Aliud argumentum, quod Petersius, ut suam sententiam defenderet, attulit, est hoc, quod apud Val. Maximum V. 4. 5 scriptum est: *„C. Flaminius tribunus plebis legem de Gallico agro viritim dividundo invito et repugnante senatu promulgavit, precibus minisque eius acerrime resistens ac ne exercitu quidem adversus se conscripto absterritus."* [7]) Quid ergo? Senatus primo omnibus precibus contendebat, deinde minis territabat, denique etiam exercitum conscripsit, nihil inexpertum omisit, ne tribunus hanc rogationem ferret. Quid est, cur senatus tanta molitus sit, ne ea ferretur, si perlatam reiicere atque abrogare sui iuris ac potestatis fuisset. Ne perlata quidem ea esse videtur. Nam pater eius pro rostris ei legem iam inferenti manum iniecit; privato fractus imperio descendit e rostris ne minimo quidem murmure destitutae concionis reprehensus. Val. Max. l. c. Cic. de invent. II. 17. 52. Si vero plebs nihil scivit, quid est, quod senatui sanciendum relinquatur? Tota igitur Petersii argumentatio corruit. Neque minus plane falsum Petersius in alio Livii (XXI. 63) loco vidit. Claudius enim tribunus plebis adversum senatum tulit: *„nequis senator, cuive senatorius pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet."* Tribunus plebis igitur aliquid, quod esset contra commoda et voluntatem senatus, tulit. Num inde recte effici potest, senatus fuisse, plebiscita comprobare vel abrogare? — Persequamur reliqua, quæ Petersius ad opinionem suam defendendam attulit. Quum bello punico secundo Fabii cunctatio Romanis admodum invisa facta esset, Metilius tribunus plebis de æquando magistri equitum et dictatoris iure promulgavit rogationem. Quæ, quum animi invidia dictatoris, favore magistri versarentur, perlata est. *„Ipse Fabius,"* ut Livius XXII. 26 narrat, *„qua gravitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem et populi in se saevientis iniuriam tulit; acceptisque in ipso itinere litteris senatus (consulti) de aequato imperio . . . invicto animo ad exercitum rediit."* Ex una voce: *„consulti"*, quæ, quum in

---

[7]) cf. Cic. de invent. II. 17. 52. Brut. §. 57. Acad. II. §. 13. de senectute c. 4. Polyb. II. 21.

nonnullis MSS desit, admodum dubia est, Petersius recte colligi posse putavit, senatum de hoc imperio aequato consultum fecisse atque illud plebiscitum approbasse. Quod quo iure inde concludatur, per se patet, præsertim quum respexeris atque consideraris illa verba: „*ad multitudinem*", . . . „*populi in se saevientis.*" Nihil enim senatui, omnia populo sive plebi Fabius crimini dedit. Neque magis ex reliquis Livii locis, quos Petersius nominavit, id, quod sensit, cognoscitur, sed potius hoc tantum, bellis punicis populum et senatum placide modesteque inter se rempublicam tractasse, summamque inter eos, id quod Sallustius (Jug. 41.) et Polybius (V. 1. 9. 14. 15.) iam laudarunt, fuisse concordiam. Sed his ipsis temporibus, etsi senatus auctoritas erat summa, tamen populi sive plebis erat potestas et majestas, cf. Cicero de legib. III. 12, sciscere erat plebis; quod plebs sciverat, senatus exsequebatur; plebs vero plerumque id iubebat, quod optimum fore senatus sapientissimus ille ordo iudicaverat. Quae si recte perpenderis, facile erit intellectu, quid sibi velint haec verba: „*ex senatus auctoritate plebs scivit,*" „*ex senatus auctoritate latum in plebem,*" quæ his locis, quos Petersius ex Livio attulit: XXVI. 2. 21. 23. XXVII. 5. XXX. 27. XXXI. 50. XXXIV. 53. XXXV. 7. XLII. 21 sæpissime leguntur. Certe nihil aliud, nisi ex voluntate senatus in plebem latum esse dicunt. Quid plura? Ex nullo igitur loco eorum, quos Petersius commemoravit, sequitur, ut senatui ius plebiscita rata vel non rata habendi usque ad extrema reipublicae tempora permanserit. Quamquam igitur admodum doleo, quod fieri non potuit, ut his, quos nominavi, hominibus doctissimis, qui non solum summo studio, sed etiam acri subtilique iudicio in rebus Romanis cognoscendis versati sint, assentirer, tamen libere est profitendum, nihil esse repertum, quod eorum opiniones defenderet. Quis est igitur, cui dubium sit, quin id, quod Niebuhrius, Walterus, Petersius hac de re statuerint, prosus sit reiiciendum. Quoniam vero omnes fere, qui nostra aetate historiam Romanorum scripserunt, unum eorum, quos dixi, plerique Niebuhrium secuti sunt, non est, quod etiam aliorum opiniones respiciamus et refutemus.

§. 6.

Iam reliquum est, ut exploremus, quid his de legibus sit iudicandum. Quod quo magis perspicuum sit, primum, quemadmodum lex Valeria Horatia orta sit, cernamus. Plebs enim, tertio tandem anno tristis illius decemvirorum imperii, maxime vero Appii libidinis haud diutius patiens, quum iterum in montem sacrum secessisset, per Valerium et Horatium cum patriciis reconciliata, tribuniciam potestatem, provocationem omniaque, quae iam antea habuerat, iura recepit. Nam, simulatque ea Romam in Aventinum rediit, extemplo pontifice maximo comitia (tributa) habente decem tribunos plebis sacrosanctos atque inviolabiles, in his L. Icilium et M. Duilium creavit. Tribunatu inito L. Icilius plebem rogavit et plebs scivit, ne cui fraudi esset secessio ab decemviris facta. Confestim de creandis consulibus cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit. Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta sunt. Per interregem deinde consules creati, L. Valerius, M. Horatius, quorum consulatus popularis sine ulla patrum iniuria nec sine offensione fuit; quidquid enim libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. Omnium primum, quum veluti in controverso iure esset, tenerenturne patres plebiscitis, (hi consules) legem centuriatis comitiis tulere: *„ut quod tributim plebes iussisset, populum teneret“*. Haec Livius III. 54 — 55 de lege Valeria Horatia, quocum Dionysius XI. 45. omnino consentit: *„Λεύκιος Οὐαλέριος καὶ Μάρκος Ὁράτιος αὐτοί τε δημοτικοὶ τὰς φύσεις ὄντες καὶ παρὰ τῶν προγόνων ταύτην διαδεδεγμένοι τὴν πολιτείαν, τὰς ὑποσχέσεις φυλάττοντες . . . . . νόμους ἐκύρωσαν ἐν ἐκκλησίαις λοχίτισι . . . ἄλλους τέ τινας καὶ τὸν κελεύοντα τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου τεθέντας ἐν ταῖς φυλετικαῖς ἐκκλησίαις νόμους ἅπασι κεῖσθαι Ῥωμαίοις ἐξ ἴσου τὴν αὐτὴν ἔχοντας δύναμιν τοῖς ἐν ταῖς λοχίτισιν ἐκκλησίαις τεθησομένοις. . . . . οὗτος ὁ νόμος ἐξέβαλε τὰς ἀμφισβητήσεις τῶν πατρικίων, ἃς ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς δημοτικοὺς πρότερον οὐκ ἀξιοῦντες τοῖς ὑπ᾿ ἐκείνων τεθεῖσι νόμοις πειθαρχεῖν οὐδ᾿ ὅλως τὰ ἐν ταῖς φυλετικαῖς ἐκκλησίαις ἐπικυρούμενα κοινὰ τῆς πόλεως ἁπάσης δόγματα νομίζοντες, ἀλλ᾿ αὐτὸ μόνοις ἐκείνοις ἴδιον.“* Quibus Livii et Dionysii ver-

bis quid clarius? Nemini dubium esse potest, quae sit vis, quae sententia huius legis. Plebiscita, quae antea unam solam partem civitatis, plebem, tenuerant, post hanc legem, si patricii eam servabant, etiam populum sive patricios, omnes Quirites tenebant, eandem igitur, quam leges in comitiis centuriatis latæ, hac quidem ratione habebant vim ac potestatem, ut omnes quidem Quirites tenerent. Hæc vero vis est in plebiscitis per se ipsis, neque per Livium neque per Dionysium licet de ulla adiunctione cogitare. Nihil enim commemoratum est, curiae vel patres vel utrique fierent auctores necesse fuisse. Itaque vetus illa hac de lege Valeria Horatia opinio, quam omnes fere, qui ante Niebuhrium de rebus Romanis scripserunt, secuti erant, de qua nostra ætate omnes, uno Goettlingio[8]) excepto, decesserunt, rursus restituta est. Nihil quoque causæ est, quod mireris, plebiscita hanc tantam, ut populum tenerent, vim accepisse. Nam per plebem erat triste illud decemvirale imperium sublatum, libertas liberaque respublica omnibus, etiam patriciis restituta; plebs iam hominum multitudine, agris, fortibus viris tam valida erat facta, ut potentia patricios exsuperaret; Valerius et Horatius consules plebi et sua ipsorum natura et, quia promissis obstricti erant, favebant. Huc accedebat, ut rerum status illo tempore, pæne dixerim necessitatem huius legis afferret. Omnia enim, ut iam exposui, per plebem acta erant; plebs sciverat, consules esse creandos; id vero in controverso iure, ut Livii verbis utar, erat, tenerenturne patres plebiscitis. Quibus rebus plebeiis contigit, ut hoc tantum commodum consequerentur. Hac enim lege: *„ut, quod tributim plebs iussisset, populum teneret“*, ut Livius bene adiunxit, acerrimum tribuniciis rogationibus telum datum est. Sed fortasse dixerit quispiam, si lege Valeria Horatia lata plebiscita iam per se sine ulla adiunctione neque curiis neque patribus factis auctoribus populum tenuerint, nullo negotio tribunos plebis totam patriciorum dominationem tollere, omne eis imperium ac potestatem eripere

---

[8]) Geschichte der römischen Staatsverfassung von Karl Wilh. Göttling. Halle 1840.

et ad plebem transferre potuisse. Quod profecto, maxime legibus Canuleii, Licinii Sextiique evenisse, quis est, qui neget? Sed si cui mirum videtur, quod, quum nihil amplius obstaret, tribuni plebis non illico atque continuo uno quasi impetu illud fecerint, illa ætate patriciis haud parva restabat potentia et plebi modestia atque æquitas quædam (teste Livio IV. 6. III. 54, cf. Cic. de lege agr. II. 83) propria fuit. Etsi hoc magis speciose, quam vere dictum est. Nam paucis annis post Valeriam Horatiam latam C. Canuleius tribunus plebis de connubio patrum et plebis tulit, et eodem anno novem alii tribuni rogationem: „*ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi*" promulgarunt. Quæ posterior rogatio si esset perlata, iam uno impetu summum et honoris et imperii cum patriciis æquati fastigium plebs occupasset. Sed mox tristissima illa clades atque ruina per Gallos invadentes illata incidit. Qua patriciorum deminutio, quia hi iam numero erant minores, certe multo maior facta est, quam plebeiorum. Qui mirum in modum celeriter vires et opes recuperarunt et, ut patriciorum opes imminuebantur, ita accreverunt. Anno enim trecentesimo octingentesimo septimo a. Chr. n. quatuor tribus ex novis civibus additæ, Liv. VI. 4. 5, viginti novem annis post iterum duæ, Liv. VII. 15 et postea rursus duae adiectae sunt. Ita plebs magis et magis facta est pars civitatis validior atque potentior. Plebeii in bellis gravibus contra Latinos, Aequos, Volscos, Hernicos, Etruscos, Gallos maximam partem onerum sustinuerunt, hos potentissimos hostes fregerunt, fines Romanos dilatarunt, neque vero imperii ullam fere partem, quum plerumque patricii crearentur tribuni militum, (Liv. VI. 37) acceperant. Anno tandem trecentesimo sexagesimo sexto leges, quas C. Licinius et L. Sextius promulgarant, post ingentia certamina decem annorum perlatae atque acceptae sunt; alter consulatus et pars agri publici plebi concessa sunt. Liv. VI. 35 — 42. Ita plebs, quae initio omni imperio, omni honore exclusa serviebat, deinde in tribunis auxilium, tum per Valerium et Horatium, neque minus per Canuleium eiusque collegas saltem confessionem potentiae acceperat, per Licinium et Sextium revera impe-

rium communicatum assecuta est. Sed patricii, ut natura rei fert, quo maiorem in dies prioris potentiae faciebant iacturam, eo pertinacius, ut ea, quae nondum essent amissa, retinerent, resistebant. Quam pertinaciam quo magis frangeret, anno trecentesimo tricesimo nono Publilius Philo dictator, summa potentia et magnis victoriis, quas plebs iam reportaverat, elatus, tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit: „*unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent, alteram ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent, tertiam, ut alter utique ex plebe censor crearetur.*" Liv. VIII. 12. Quibus verbis etsi Livius nihil adiecit, quod eo magis est dolendum, quod a nullo alio rerum Romanarum scriptore harum legum mentio est facta, tamen, quid illa prima lex, de qua una hic sermo est, valeat, nemini dubium esse potest. Verba enim: „*ut plebiscita omnes Quirites tenerent*" satis declarant, hac lege Publilia prima Valeriam Horatiam tantummodo esse repetitam et confirmatam. Etenim in hac Publilii Philonis lege adiunctio aliqua atque conditio, fortasse ea, si patres auctores facti essent, eo minus concedi atque admitti potest, quod hoc tempore plebis potentia adeo aucta erat, ut ea omnium reipublicæ honorum, plenae iuris et imperii æquabilitatis, vel adeo maioris dominationis particeps facta esset. Qua de re, quia iam supra satis dictum est, hoc loco non longa disputatione opus esse videtur. Si quem vero offenderit, quod lex Valeria Horatia hac Publilia lege sit repetita, leges iam latas iterum et rursus esse repetitas haud raro in historia Romanorum invenitur. Nonne enim lex Valeria (Liv. X. 9.) lege Porcia (vid. Ernesti ind. leg. s. l. Porcia), nonne altera Publilia, quam modo nominavimus, lege Maenia [9]) a Maenio tribuno plebis lata repetita est? Quoniam vero lex Valeria Horatia eiusmodi

---

9) Legem Maeniam: „ut patres ante inita a populo suffragia fierent auctores eius rei, quam populus jussurus esset" nihil aliud fecisse, nisi ut Publiliam repetendo confirmaverit, neque ab ea diversam esse, id quod Petersius in annalibus p. 79 aliique voluerunt, satis ex vocibus: eius rei (non suffragii ad creandos magistratus) patet. vid. Ernesti ind. leg. cf. Cic. Brut. 14. Liv. 1. 17.

est, ut huic ipsi patricii maxime adversati sint, atque adeo eam, quod possent, neglexerint, minime mirum esse videtur, quod haec ipsa lex iterum, quin etiam rursus lata est. Verum enim si id, quod de lege Valeria Horatia et de lege Publilia prima supra statuimus, in dubium vocari nequit, atque plebiscita sine curiarum et senatus, ut ita dicam, auctoritate et ante has, quas modo dixi, leges per se ipsa rata fuisse et post legem Valeriam Horatiam non solum plebem, sed etiam populum tenuisse constat, nonne ipsa lex Publilia prima, quae eadem, ac Valeria Horatia est, per legem Hortensiam, quam anno CCLXXXVII a. Chr. Quint. Hortensius dictator, quum plebs aere alieno pressa post graves et longas seditiones in Ianiculum secessisset, in Esculeto tulit: *„ut quod plebs iussisset, omnes Quirites teneret“* repetita atque confirmata est? Num quidquam aliud hac de lege recte putari potest? praesertim quum omnes scriptores, qui huius legis mentionem fecerint, eisdem fere verbis, quibus lex Publilia concepta est, in hac lege edenda usi sint. Nihil est vero, quod te offendant Laelii Felicis verba apud Gellium (N. Att. XV. 27): *„quibus rogationibus patricii ante non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator legem tulit.“* Atque hoc vehementer negaverim, inde, quod Gaius et alii, qui legis Hortensiae mentionem fecerunt (vid. §. 2), legem Publiliam silentio transierint, iure colligi posse, id quod Hoeckius putavit l. c. 15, has leges plane diversas esse. Hoc enim incuriae, illud inscitiae esse attribuendum existimaverim. Sed quid opus est plura? Vereor, ne hac de re, quam homines docti, ut multa alia per se certa, dubiam fecerint, plura, quam necesse erat, dixerim.